



**G**othofredus filius fuit Eustachij Brabantiaë  
 comitis, & Idæ Gothofridi Lotharingie du-  
 cis sororis, ita ut ex ea familia Germanorum ori-  
 undus fuerit, ex qua etiam illustrissimi principes  
 Iuliacenses & Cliuenses suam originem habuere.  
 Cum autem Lotharingus liberis careret, hunc Go-  
 thofredum egregie indolis adolescentem adopta-  
 uit, atque in suam tutelam recepit. Itaque factum  
 ut in omnis generis uirtutibus à parentibus & a-  
 uunculo educatus fuerit. Cum autem adoleuisset,  
 Heinricus quartus eius nominis Imperator eum  
 ad se uocauit, atque diu secum in aula retinuit. Eo  
 tempore intestina bella apud Germanos inualue-  
 rant. Sueui enim & Saxones Rhodolphum pseudo-  
 cæsarem elegerant, atque pontificis authoritate freti Heinrico rebellarant.